
18

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

LIPOTHYMIA HAEMORRHAGIAM SISTENTE



QVAM

DIVINIS SVB AVSPICIIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE NORICO - ALTORFINA

PRO GRADV

DOCTORIS IN MEDICINA

LEGITIME IMPETRANDO


D. XXIII JVNII A. R. S. MDCCLXVII

SOLENNI ET PVBLICAE DISQVISITIONI

EXPONIT

GOTTLOB IOHANNES GEORGIVS WILHELMVS GMELIN

GOCHSHEMIO - WVRTEMBERGENSIS.



ALTORFII

LITERIS HESSELIANIS

VIRO

ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO

ERNESTO CONRADO

DE BRODBECK

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO

EMINENTISSIMI CARDINALIS
ET EPISCOPI SPIRENSIS

CONSILIARIO INTIMO ET ARCHIATRO PRIMARIO

AC CIVITATIS IMPERIALIS SPIRENSIS

PROTOPHYSICO MERITISSIMO

DOMINO PATRONO

AC

COGNATO SVO

OMNI HONORIS ET PIETATIS CVLTV VENERANDO

HOC SPECIMEN INAVGVRALE

IN

GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIVM

ET

REVERENTIAE DOCVMENTVM

CVM VOTO

PERPETVAE ET OMNIGENAE FELICITATIS

D. D. D.

TANTI NOMINIS

DEVOTVS OBSERVANTISSIMVSQVE CVLTOR

G. I. G. W. GMELIN.



DISSERTATIO MEDICA
DE
LIPOTHYMIA
HAEMORRHAGIAM SISTENTE.



§ I.

Thematis occaſio.

Non raro accidit, ut morbus morbo, ſymptoma ſymptomati ſit remedio. Alii non pauca huius argumenti dederunt exempla. Mihi vero novum ſuggeſſit ſpecimen caſus quidam, notatu haud indignus, quem mecum benevole communicavit Spectatiſſimus Dominus Decanus, Doctor WEISSIVS. Nuper enim ruſtici cuiusdam uxor, quam dira vexaverat odontalgia, immanium impatiens dolorum, dentem molarem a Chirurgo evelli paſſa eſt. Exinde vero in tantam tamque pertinacem incidit maxillae haemorrhagiam, ut per diem noctemque copioſum exſpueret ſanguinem, continuo ri-

vulo e lacerata maxillae foveola profluentem. Varia quidem, at incaſſum, applicabantur remedia, ſanguinis fluxum ſiſtentia. Tandem de vita ſervanda deſperans, atque vitali humore nimis exhauſta, ſubito concidit moribunda in terram, gravi prehenſa animi deliquio. Illitis tamen ſpirituoſis refocillata ab adſtantibus, lectoque rurſus impoſita, animam recepit fugientem, adeo felici eventu, ut omnis ſtatim quieſceret ſanguinis e maxilla fluxus, et alimentis refecta paullatim ad priſtinam melioremque rediret valetudinem. Haec me commovit obſervatio, ut animo mecum conſtituerim, ſpeciminis inauguralis loco, in eas inquirere cauſas, ex quibus fieri ſoleat, ut lipothymia ſubinde haemorrhagiam ſiſtere valeat.

§ II.

Exempla. Non adeo infrequentes contingunt caſus, quibus per experientiam docemur, ſanguinis fluxum a ſupervenientibus animi deliquiis cohiberi. Quoties enim non accidit, ut a Venae ſectione animus deficiat, atque ſanguis, ex inciſo venae vulnuſculo alacriter antea proſiliens, nunc illico ſubſiſtat? Pari modo fieri novimus, ſauciatos, poſtquam multum cruoris e vulnere minus lethali perdiderunt, in lipothymiam incidere, fluxumque ſanguinis inde aut deſinere, aut facilius coërceri. Milites in praeliis vulnerati, profuſo largiter ſanguine, tandem lipothymici proſternuntur in arenam, ſenſuumque inopes trucidatis mortuiſque immixti, iacent aliquandiu immoti, donec vulnere per coagulum cruoris ſubſiſtentis conglutinato paullatim ad ſe redeunt. Haec aliaque ſatis teſtantur exempla, lipothymiam ſaepe ſuboriri ex haemorrha-

morrhagia, atque viciſſim hanc non raro illius ope minui ac refraenari.

§. III.

Antequam ad eruendas horum eventuum cauſas progrediar, neceſſe eſt, ut tam lipothymiae, quam haemorrhagiarum, formam brevibus depingam. Lipothymia ex idea nominis, quod graecae eſt originis, denotat animi defectionem, quam Latini deliquium appellitant. In eadem vero definienda Auctores non parum a ſe invicem recedunt. Alii enim ad cauſas, alii ad partem affectam ſeu ſubiectum primarium, alii denique ad effectus huius paſſionis, attentius reſpiciunt. Primam eius lineam ducturus, generatim lipothymiam (eine Ohnmacht) deſcribo, quod ſit vel morbus, vel quod ſaepius evenit, ſymptoma, aliis morbis accedens, in quo tam ſenſus, quam motus voluntarii, in primis vero pulſus, ſubito et ad breve tempus remittuntur. *Lipothymia quid?*

§ IV.

Varias deliquiorum ſpecies et gradus ſtatuminant Auctores, illorumque alii tres, alii vero quatuor numerant. BOERHAAVIVS a) Lipothymiam, Lipopſychiam, Syncopen et Aſphyxiam: WVCHERER b) Eclypſin, Lipothymiam, Syncopen et Aſphyxiam; FR. HOFFMANNVS c) ſubitaneum viri- *Qualis ſpecie et gradu.*

a) Inſtitut. Med. §. 829.

b) Patholog. pag. 106.

c) Med. rat. ſyſt. Tom. IV. Part. IV. Cap. IX §. 4. p. 243.

virium lapſum naturalium, Lipothymiam et Syncopen, nominant. Omnes lipothymiam ad mitiorem referunt gradum; ſyncopen vero ad graviorem, utpote quae pertinacior periculique plenior, ac interdum mortis imago nuncia; ſiquidem de hac tritum illud valet: Syncope e medio tollit, ſc. viventium. Lipothymia vero rurſus diſpeſci meretur in protopathicam et ſymptomaticam, idiopathicam et ſympathicam. Praeter haec, a cauſis, ſpasmodica, plethorica, hypochondriaca, hyſterica, febrilis, polypoſa etc. itemque haemorrhagica et ab inanitione cognominari poſſet. Haec quae haemorrhagiis ſupervenit, ſymptomatica eſt et idiopathica, eaque partim ſpasmodica, partim ab inanitione nata.

§. V.

Forma et ſigna. Eam vero refert formam faciemque, ex qua cognoſcitur lipothymia. Quosdam, antequam languentes corruunt, impetit ſenſio quaedam anxia in praecordiis, uel caloris aſcendentis perceptio, cum conſcientia labaſcentium ſubito uirium, atque periclitantis et quaſi fugientis uitae; ideoque trementes formidine conqueruntur, ſe male, immo peſſime, ſe habere, atque his balbutientes collabuntur vernaculae verbis: Es werde ihnen ſo tod = übel, ſo wehe, ſie müßten ſterben. Aliis ſimul vertigine affectis aures tinniunt, oculique caligant. Nonnullos inopinantes corripit ſubitanea virium ſenſuumque fuga, corporisque caſus. Omnibus genae, labia, facies cutisque pallent, ſenſus tam externi quam interni ſtupent, et remittuntur, oculi fixi vel retorti claritatem exuunt, atque ceu nebula obſcurantur, manibus abiectis, reclinato capite, pedibusque concidentibus, proſternuntur in terram, inſcii plane

plane, quid patiantur, aut quid cum illis agatur; obſcure aut vix reſpirant, pulſus aut nullus, aut valde ſuppreſſus percipitur, ſudor tepidus aut plane frigidus faciem perfundit; tandem poſt aliquot temporis momenta, reviviſcente pulſu, altis ſuſpiriis profunde inſpirant, vel vomitu in aliquibus accedente oculos paullatim movent, et ad ſe redeuntes, ignari praeteritorum quaerunt ex adſtantibus, quaenam facta ſint? ubi degant circumſpiciunt, affirmantes, ſe placidiſſimo obdormiviſſe ſomno. Variant nonnihil hae affectiones pro diverſis lipothymiae cauſis, hominumque ad eiusmodi paſſiones proclivitate. Syncope tamen ubique gravitate, duratione et periculo, lipothymiam antecellit. Quod haemorrhagiis ſupervenit animi deliquium, illud habet praecipui, ut decumbentes capite declivi homines citius ad ſe revertantur; illi vero, qui capite et corpore ſuſtinentur erecti, aut brachiis aliorum ſuffulti trahuntur, tardius ad ſe redeant, immo rurſus in recidivam incidant lipothymiam.

§ VI.

Cauſae antecedentes et occaſionales.

Multiplices adnotatae ſunt cauſae et occaſiones antecedentes, ex quibus lipothymia ortum traxit. Illarum quaedam referendae ſunt ad abundantiam, congeſtionem et rarefactionem ſanguinis; aliae vero ad defectum et exinanitionem humorum vitalium pertinent. Nec raro irritatio mentis, nervorumque moleſta ſenſatio, et fluidi nervei influxus turbatus vel ſuppreſſus, in culpa verſatur. Aliquando vitium haeret in corde ipſo, quod aut ſpaſmis affectum, aut ex atonia languens, aut

poly-

polypis obſeſſum, remoram circulari humorum motui obiicit. Multis itaque modis lipothymiam provocari fida monſtravit nec infrequens experientia. Nam modo plethora, ab aëre calidiore, aeſtu hypocauſtorum vel balnei, motu corporis nimio, abuſu ſpirituoſorum volatilium, affectuumque animi vehementia, inprimis irae ac terroris, nimium agitata, modo aſpectus propinqui fulminis, mortis ſubitaneae amici, ſuppliciorum crudelium, caſus ab alto, cruentarum operationum Chirurgicarum, recenſio atrociſſimorum facinorum, rumor incendii, calamitatum nuncius, fragoris horrendi auditus, navigatio inſueta per mare turbulentum, vectio in curru retroſpiciente facie, viſio ſpectrorum, nauſeoſorum imaginatio, odor graveolentium, immo ſuavium, aliarumque rerum ex idioſyncraſia adverſarum, ceu felis praeſentis, eſus caſei, etc. modo fumus carbonum, venena quaedam corroſiva, vaporoſa, emetica et purgantia draſtica, febris et cardialgia ſyncoptica, morbi maligni, peſtilentes, exanthemata retroceſſa, ſcorbutus, cruditates ſtomachi, huiusque repletio nimia, vermes, hypochondriaca et hyſterica paſſio, pectoris nimia per thoraces conſtrictio; modo dolores acerbiſſimi, tortura, ſectio calculi, cancri, membrorum amputatio, nervi punctura, laeſio capitis et cerebri, luxatio, fractura, gravis ambuſtio; modo polypus cordis, huiusque ſpasmus conſenſualis, laeſio, percuſſio, refrigerium, aëris e ſanguine ſeceſſus, itemque ſcrobiculi cordis, ſtomachi et teſticulorum contuſio; porro dyſenteria, cholera, hyperemeſis, hypercatharſis, diarrhoea enormis, diabetes, hectica colliquativa, ſeminis nimia profuſio, paracentheſis, vigiliae, inedia, nimia ſtudiorum medita-

ta-

tationumque intenſio, ptyaliſmus modum excedens; denique haemorrhagiae a venae ſectione, vulneribus, abortu, lochiis, menſibus ac haemorrhoidibus nimiis, mictu et vomitu cruento, haemoptyſi, ſanguinisque e naribus profuſione, ſi modum excedunt, aliaque, lipothymiam invitare ſolent.

§ VII.

Allegatae hae cauſae adeo diverſae, licet ortu, forma, ſymptomatibus, eventu, nocendi modo et gradu, indicationibus et medendi methodo, non parum inter ſe differant; ad gignendam tamen lipothymiam in eo conveniunt, ut circularem ſanguinis motum aliquandiu cohibeant. Sicuti enim praecipua huius morbi, vel ſymptomatis, ratio in ſuſpenſione virium vitae, ad conſtantiam actionum tam animalium, quam vitalium, et partim naturalium eſt poſita; fulcrum autem et incitamentum vitae praeter partium legitimam conſtitutionem potiſſimum a continuato et aequali ſanguinis circuitu dependet; ita nullum mihi ſupereſt dubium, quin proxima huius ſymptomatis cauſa reſideat in eodem circulari humorum motu aliquandiu impedito, eoque aut interdum ſilente et ſubſiſtente, aut ad ſuſtinendas actiones praecipue animales haud ſufficiente. Teſtes ſunt vita vacillans, pallor, ſenſus et motus ſuſpenſi, pulſus aut deficiens, aut obſcurus et inſufficiens ad exercendas viventium actiones. Quemadmodum autem partim ad cor, ceu primarium circuli organon, partim ad ſanguinem, reſpicere oportet: ita obſtaculum quoddam circuli, aut in corde, eiusque actione vel imminuta, vel intermitten- *Cauſa proxima.*

 te,

te, nec non in nervis, cordis motum iuvantibus, aut in ſanguine haereat, neceſſe eſt. In corde aut ſpasmus, et ſtrictura, aut languor et atonia peccant. Vulnus enim eius gravisque laeſio ſyncopen lethalem et repentinam mortem, non vero transeuntem lipothymiam infert. In ſanguine culpam habent aut polypus, et qualitas infenſa, aut quantitas vel excedens vel deficiens, eiusque motus vel nimius, vel interceptus, vel irregularis, ubi ex orgaſmo, rarefactione, aëris ſeceſſu, ſpiſſitudine, tenuitate, acrimonia, affluxus redditur aut iuſto impetuoſior, aut tardior, transfluxus vero per cor et pulmones praepeditur. Conſentientem habeo illuſtrem FRID. HOFFMANNVM, d) dum: *animi*, inquit, *deliquiorum cauſſa ab ipſo cordis motu vel imminuto, vel prorſus ceſſante recte deducenda venit.* Idem de ſyncope ſtatuit, dicens: *Syncope eſt motus cordis ad tempus ſufflaminatio cum ingenti virium et tam animi quam corporis functionum defectu, ab impedito vel minus ſufficiente liquidi ſpirituoſi per nervos et ſanguinis probe temperati per vaſa coronaria in muſculoſam cordis ſubſtantiam influxu dependens.* Differentiam lipothymiae a ſyncope in eo ponit, quod illa gradu minor ſit, motusque cordis tantum nimium debilis, in ſyncope vero aliquandiu magis ſit ceſſans.

§ VIII.

Ex haemorrhagiis in ſpecie.

Hoc loco non in ſingulas excurram mediatas et antecedentes cauſas, nec disquiram, quot modis ſuſcitetur animi deliquium. Tot enim inter ſe multum variantes cauſae, licet per diſſitas et divergentes procedant vias, in unam tamen contendunt metam, et in communi atque proxima ſeu ultima lipothymiae ratione conueniunt. Eas potius nunc proſequar rationes prae-

(d) Med. rat. ſyſt. Tom. IV. Cap. IX. §. IX. p. 246. et §. XIV. p. 249.

praecipuas, ex quibus haemorrhagiae animi deliquium proferant. Duplicem vero originem monſtrat experientia. Notum enim eſt, aliquos a levi vulnere vel parca ſanguinis emiſſione, qua vix binae aut tres unciae e vena ſecta promanarunt, fieri lipothymicos. Hos iudico non tam a mera haemorrhagia, uaſorumque inanitione, animo linqui, quam a peculiari potius nervorum ſenſibilitate, et ab imaginationis effectibus, ſcilicet terrore, metu, abhorreſcentia doloris et cruoris, etc. adeo mente affici, ut aequalis humorum circulus ex ſpasmo aut tremore cordis conſenſuali turbetur ac aliquantiſper cohibeatur. In his fluxus ſanguinis aut non penitus deſinit, aut citius cum animo revertitur. Ex adverſo in aliis, forti animo uiriumque conſtantia praeditis, itemque in feminis, uteri haemorrhagia affectis, ex larga ſanguinis profuſione non facile oritur lipothymia, niſi magna eius perdita fuerit copia. In his nimia vaſorum depletio ex haemorrhagia accuſari meretur. Hac praeſente conditione, nemo non ex praecedentibus colliget argumentis, terrificum deliquii ſymptoma ex inanitione vaſorum, ſanguinisque inopia, ſuam traxiſſe originem. Venis enim praeter modum vacuis, atque corde haud ſufficienter repleto, ſyſtole eius, ac diſtributio vitalis humoris, quo ſingulae animantur partes, omnino minuitur, aut plane deficit. Quamvis etiam modica, quae ſupereſt, cordique languenti infunditur, ſanguinis portio in aortam dimittatur, haud tamen eadem ſufficit, nec tanto propellitur impetu, quo carotides internae ſatis repleantur, adeo, ut humor vitalis iuſtam cerebri irrigationem, qua mentis praeſentia ſenſuumque integritas et vigor ſuſtinentur, praeſtare valeat. Hac ex penuria fieri nequit, ut fluidi nervei ſecretio et diſtri-

butio perseverent; sed inde potius evenit, ut sensuum motuumque officia eousque cessent, donec liberalior sanguinis ad cerebrum affluxus silentes vitae vires resuscitet. Notum enim est, lipothymicos citius in vitam et actiones reverti, dum in lectum repositi, aut in humum prostrati, capite declivi decumbunt. Ita nempe modica superstitis sanguinis quantitas, quae erecto corpore et capite ad cerebrum usque assurgere nequiverat, nunc ad horizontalem progressum pronior, cerebrum facilius intrat, illud rursus penetrans animum sensusque revocat. Hoc in decubitu corporis si aliquandiu perseverant sauciati, vitae notas recuperant, certiusque monstrant ac servant, quam ubi corpore et capite detinentur erecti. Idquod saepius se expertum esse affirmat *Riedlinus* e) ideoque suadet, ut illi, qui a venae sectione saepius tentantur lipothymia, lecto aut incumbant aut eidem linquentes imponantur, quoniam hoc in corporis situ minus ista afficiantur passione, aut illa prehensi citius ad se redeant. Vidi ipsemet aliquoties feminas, ob nimiam et diuturnam uteri haemorrhagiam sanguine ferme exhaustas, quae toties, quoties lectum mutaturae steterant erectae, illico in subitaneam inciderunt lipothymiam, simul vero, ac lecto rursus impositae decubuerant, in vitam animique praesentiam rediere, certo indicio, illis erectis et stantibus sanguinem non ad caput cerebrumque adscendisse, ideoque in animi deliquiis, ex gravi haemorrhagia natis, non congestionem humorum ad caput, sed sanguinis potius in cerebro inopiam et defluxum repentinum, quem pallor faciei conspicuus monstrat, ex causarum successione

ne

e) Linear. Med. Ann. III. mens. april. Obs. IV. p. 214. 215.

ne in culpa versari. Nec dubito, eandem obtinuisse rationem deliquii in femina illa, cuius historiam § I praemisi.

§ IX.

Haemorrhagia quid? et qualis lipothymica?

Haemorrhagiarum, seu sanguinis e vasorum alveis profusionum, amplam heic exhibere delineationem, thematis ratio haud quidem postulat. Quodlibet tamen sanguinis profluvium, sive naturale sit, sive a morbo profectum, sive per violentas laesiones excitatum, sive ex consilio institutum, si modum excesserit, lipothymiam afferre valet, immo syncopen et mortem, si haemorrhagia fuerit immodica et incompescibilis, qua nempe maior sanguinis quantitas effunditur, quam quae ad vitam recuperandam continuandamque requiritur. Nec interest, utrum ex arteriis, an vero ex venis, prodeat; dummodo sanguis non ex maioribus internisque vasis nimio flumine, eoque per artis opem haud coërcendo, prorumpat. Quapropter mirum non est, si a vulneribus, larga venae sectione, arteriotomia, amputatione artuum, cancri sectione, mensibus nimiis, lochiis et haemorrhoidibus excedentibus, copioso mictu et vomitu cruento, nimia haemoptysi et haemorrhagia narium, ac uteri in abortu, partu, aut secundinarum retentione, ob nimiam sanguinis profusionem, lipothymiam ortam esse, passim Auctores referant. Pari ex ratione femina, cuius mentionem § I feci, ex diuturna maxillae inferioris haemorrhagia evasit lipothymica. Sine dubio arteriae maxillaris ramus internus, a congestione sanguinis dolorifica tumens, fuit laesus, cum balneator dentem evelleret. Ex abruptis enim dentis venulis pertinax adeo et diuturnum sanguinis stillicidium, quod reme-

media ſtyptica eluderet, haud ſuperveniſſet. Illuſtris *de Haller* f) *ſpecioſum narravit exemplum hominis, qui ex vulnere arteriae dentis evulſi per haemorrhagiam XXXX libras ſanguinis amiſit, et tamen diaeta pleniori probe refocillatus, haud magnam ſanitatis iacturam fecit.* Vidit ſpectatiſſimus Dominus Decanus Doctor WEISSIVS feminam plethoricam, menſium obſtructione laborantem, quae ſubitanea et inopinata lipothymia affecta, et in terram prolapſa, copioſum grumoſumque ſanguinem vomitu reiecit, eoque excreto ſtatim ad ſe rediit. Idem retulit mihi hiſtoriam de iuvene quodam robuſto, qui e ſcabie retropulſa in febrem continuam inciderat. Huic licet tempeſtive ſanguis e vena largiter fuiſſet ſubtractus, tanta tamen die critico ſupervenit narium haemorrhagia critica, ut demum animam ageret lipothymicus. Adventante vero animi deliquio, fluxus ſanguinis ſubſtitit, febris ceſſavit et remediorum ope ſcabies cutim nunc repetens ex arte ſanata, aegerque ſanitati et robori reſtitutus eſt. Multoties accidit, ut parturientes, ſi placenta praemature ab utero divellitur, aut poſt editum foetum retenta per aliquot dies in utero remoratur, ex nimia profuſione alte rubentis et tenuioris ſanguinis, (quem vulgo das Herz = Geblüth vocant) gravi et frequenti afficiantur lipothymia, hac vero praeſente, floridi ſanguinis effluxus aliquandiu ceſſet. Sicuti vero alia haemorrhagiae ſpecies prae altera citius lipothymiam provocat: ita quoque hominum alii in eandem magis aut minus natura inclinant. Praeter haec comperimus, lipothymiam in venae ſectio-

f) Referente G. E. Remo, in ſpecim. inaug. - - §. 29. p. 63.

ſectione rarius contingere, ſi ex vena minore per exiguum foramen ſanguis tenuiore filo promanat, aut minor eius portio per intervalla temporis emittitur; ex adverſo eos citius animo linqui, in quibus ex maiore vena latius inciſa ſanguis magna copia et impetu maiore ſimul prorumpit. Hinc paullatina et lenta ſanguinis profuſio, quae ſtillicidio accidit, etiamſi temporis tractu multum cruoris perdatur, rarius lipothymicos reddit, quam larga et ſimultanea haemorrhagia.

§ X.

Quomodo Lipothymia ſiſtat haemorrhagiam.

Quibus ex cauſis lipothymia ex haemorrhagiis oriatur, ex antecedentibus ſatis patet. Qua vero ratione viciſſim per lipothymiam cohibeatur haemorrhagia, e mutua cauſarum ſucceſſione facile perſpicimus. Effuſo nempe liberalius ſanguine, eodem liquore vena cava non ſatis repletur, latera huius vaſis ampla, nunc flaccida, refluentem parcius ſanguinem tardius urgent, nec expedite propellunt; fluminis celeritas et vis, quae auriculam dextram elevet, cordisque reſiſtentiam ſuperet, minuitur, eiusque ventriculi pulmonumque uaſa haud ſufficienter diſtenduntur; hinc pulſuum rhythmus ſilet, reſpiratio, circulus ſanguinis, atque ſimul vitalitas, per aliquot temporis momenta ſuſpenduntur, inde arteriae, praeſertim carotides, vitali humore deſtitutae, non amplius micant, mentis praeſentia, ſenſuum vigor, motuumque conſtantia intercipiuntur, arteriae ſi non inanitae prorſus, non tamen ſatis repletae, ſanguinem non quaquaverſum diſtribuunt; affluxu ſic ceſſante, et unda undam haud protrudente, arteriae minores corrugatae collabuntur et inanes, cruor in oſtiis

vulneris haerens nonnihil condensatur, atque glutine suo orificia ante hiantia, nunc spasmo constricta, operit; ita haemorrhagia ab interveniente lipothymia sistitur, sane non ex consilio aut ficta intentione animae, ad cohibendum vel promovendum ex arbitrio sanguinis effluxum plane impotentis, sed potius ex mechanismo animali legibusque hydraulicis viventis corporis. Ad illustrandas eiusmodi mutationes apprime facit schema illud circuli sanguinis, quod Spectatissimus Dominus Decanus nuper expressit figura in dissertatione de dextro cordis ventriculo post mortem ampliore, quam publice sub eius praesidio defendendam suscepi, atque ad eandem perlustrandam benevolum Lectorem remitto.

§ XI.

Illustratur experimentis.

Mutua haec symptomatum successio sicuti naturae animalium convenit: ita per instituta experimenta confirmatur aeque, ac illustratur, qui fiat, ut sanguis ad locum, per quem exitum invenit apertum, largius confluat et profundatur. Saepius accidit, ut sanguis, qui a venae sectione vel vulnere inprimum parce fluxerat, et ferme guttatim exstillaverat, inventa semel exeundi via, dein copiosius prorumpat, altiusque prosiliat; quinimo fit, ut deligatum licet venae vulnusculum, ab impellente tamen cruore sua sponte rursus rumpatur, atque haemorrhagia aliquoties revertatur, praecipue si arteria fuerit incisa. Adeo crescit congestio, et vasa contrahuntur vicina, ut confluxus ad ostium vasorum dirigatur apertum. Perplacuit mihi curiosum Doctissimi REMI g) experimen-

g) In specimine experimentorum circa circulationem sanguinis. Goetting. 1752. edit. §. 28. Experim. 4. 5. 6. 8.

mentum, aliquoties repetitum. Vidit ille, una cum illuſtri HALLERO, *in ranis, microſcopio Lieberkuhniano affixis, quibus venam ex meſentericis inciderat, ſtatim omnem ſanguinem venoſum, contrariis vorticibus, et retrogrado rivo, celerrime ad vulnus undequaque confluxiſſe, motumque circularem inde valde auctum eſſe. Vulnere dein corrugato et clauſo, motus ſanguinis lentior aequabilis et naturalis rediit, vaſaque paſſim inania ſanguine rurſus repleta ſunt.* A venae ſectione circulum ſanguinis accelerari, ex crebris conſtat obſervationibus. Sat quoque notum eſt, poſt applicationem ſanguiſugarum, his licet cruore fartis relapſis remotisque, ſuctionis tamen ſenſum, affluxum ſanguinis et haemorrhagiam ex vulnuſculo exiguo triangulari diutius adhuc protrahi. Adeo affluxus ſanguinis ad partem, et revulſio humorum per haemorrhagias inſtitui ſolet, ut et circulus ſanguinis, et mentis praeſentia demum vacillent, humore vitali vel ſubito vel liberalius iuſto profuſo, ex qua evacuatione et circulo intercepto demum ipſa ſiſtitur haemorrhagia.

§ XII.

Quomodo lipothymici ad ſe redeant.

Sicuti vero lipothymia, haemorrhagias excipiens, ex circulo ſanguinis aut intercepto, aut minus ſufficiente, oritur; ita cedit illa, hoc vel reſuſcitato, vel redintegrato. Diſpiciendum itaque, unde vaſa, per haemorrhagiam praegreſſam ferme inanita, eam denuo recipiant ſanguinis copiam, quae ſufficiat ad cordis motum reſuſcitandum, atque ad ramos aortae, praeſertim caroticos, ſat irrigandos? Mirabilis certe eſt ſanguinis per corpus diſtributio et circuitus. Nunquam omnis exhau-

ritur funditus, ſed in vaſis minoribus minimisque, quae maximam diverticulorum partem conſtituunt, plurimosque continent humores, magna ſanguinis reſtitat portio. Haec ſi tanta eſt, ut ſucceſſive collecta undequaque ad venas maiores et in cavam ſpaſmo corrugatam refluat, ac valvularum ope ad auriculam cordisque caveam dextram, calente adhuc et tremente vitali hoc viſcere, remittatur; palpitationes eius motusque ſyſtolici et diaſtolici, (ad quos alternatim renovandos continuandosque cor natura proclivior pars eſt, quam alii muſculi) reſuſcitantur, ſanguis ad pulmones pergit, hi rurſus illo impleti ſuſpiria commovent profunda et anxia, reſpirationis adminiculo ſiniſtrum cor ſanguine repletum, ſimulque palpitans, receptum largius humorem in aortam eiusque ramos propellit; ita vero redit circulus, irrigatur denuo cerebrum, revertuntur et vita et ſenſus, ſenſim evigilantes, alto antea tanquam ſomno ſopiti, calor reviviſcit, et laſſitudo aliquandiu remanens reficiente potu victuque paullatim depellitur. Interea ſanguinis copia, per antecedentem haemorrhagiam imminuta, grumis obturata et corrugata vulneris oſtia perrumpere et reſerare nequit. Ita vero ceſſant aeque animi deliquium ac ſanguinis profluvium. Huc tam natura, quam artis ſolertia ſua conferunt auxilia. E ſymptomatibus enim lipothymiam haemorrhagicam concomitantibus patet, ſanguinem, in vaſis minimis retardantem, ex his citatius exprimi, eumque ad venas maiores, quo rurſus impleantur, provehi. Nam pallet cutis, adeſt rigor et frigus vaſcula coarctans; in aliquibus convelluntur artus, eodemque reciproco motu reticularis muſculorum vaſculoſitas comprimitur, in aliis vomitus accedit, quo pectoris et abdominis

minis viſcera concutiuntur; ſic undequaque cruor ad vaſa maiora remittitur et confluit. Denique adſtantium hominum operoſa officia vitam revocare intendunt, dum lipothymicos commovent, naribus et ori affundunt liquores ſpirituoſos, nervinos volatiles, aut in eorum defectu aquam adſpergunt frigidam, membra fricant, calore fovent, corpusque agitant, ut nervoſum excitent ſyſtema his irritamentis ad oſcillationem vaſculorum minimorum reſuſcitandam accelerandamque, et ad revocandum circulum ſanguinis, ad diſtributionem fluidi nervei, ipſamque vitam reſtituendam.

§ XIII.

Non quaelibet haemorrhagia per lipothymiam ſiſtitur. Si enim modica eſt, atque e vulnere minimorum vaſorum ſanguis prodit; citra illam aut ſponte ſua finitur, aut ab impoſitis ſpleniis, et medicamentis ſtypticis applicatis, ope deligationis facile cohibetur. Quodſi vero vaſa maiora, eaque interna, praecipue arterioſa, rumpantur vel ſaucientur, nec ſanguis prorumpens per artem coërceri poſſit; non lipothymia tantum levis, ſed ſyncope et mors ſuccedunt. Teſtantur id anevriſmata interna rupta, *quorum exempla* h) LANCISIVS non pauca inter inopinas et occultas ſubitaneae mortis cauſas recenſuit. Pari modo a vulneribus internis, in quibus vaſa maiora inciſa, diſciſſa vel rupta ſunt, item a ruptura lienis, uteri, vaſorumque pulmonalium maiorum, atque cerebri internorum lethalis oritur haemorrhagia intrinſeca. Idcirco in iis tantum haemorrhagiis, quae compeſcibiles ſunt, nec abſolute lethales, lipothymiae ſymptoma remedio eſſe poteſt. *Limitatio.*

C 3 § XIIII.

(h) In Tr. de corde et anevriſmatibus.

§ XIIII.

Vsus. Insigne Dei est beneficium, ad servandam hominum vitam omnino utile, quod adeo mirabili artificio eorum corpus construxit, ut non urgentem solum sitim, ceu stimulum resarciendorum humorum, gravibus adiunxerit haemorrhagiis, sed etiam promptuarium quoddam sanguinis in vasis recondiderit minimis, e cuius penu novi scaturient vitae fontes. Ipsamet lipothymia, quae mortis imaginem refert, renascentis vitae aliquando autor est. Terrificum hoc symptoma interdum solatii vim praebet iis, qui salutarem eius praevident effectum. Quinimo evenit, ut experientissimi Medicorum in aliquibus morbis sanguinem ex incisa vena eousque mittendum suadeant, donec imminens animi deliquium ferocem illius retundat impetum. Hanc sanandi methodum instituit HIPPOCRATES in febribus inflammatoriis, et i) BOTALLVS hanc in rem amplius est commentatus. In aliquibus maniacis, in quibus tam virium quam vasorum plethora eminet, repurgato prius ventre, venae sectio ad deliquium usque facta furorem compescuit. In arteriotomia, sive illa ex consilio instituatur, sive casu contingat, eousque sanguinem mittendum suadent, l) donec animo linquantur. Subtracta enim sanguinis abundantia, haemorrhagiae recursus praevertitur, et vulnus citius coalescit. Galli audacter in morbis et vulneribus, cum calore febrili coniunctis, aliquoties repetunt missiones sanguinis, de climatis, temperamenti et victus ratione certi, quod sanguis eorum agilis et ad orgasmum proclivis, e vasis minimis, in quibus restagnans et collisus caloris excessum acuit, iteratis cruoris profusionibus ad vasa maiora expeditius re-

(i) Tract. de curat. per sanguinis missionem Cap. XXV. vid. oper. ej. p. 259.
(l) Dionis in chirurgia, demonstratione octava, p. 148.

remigret, et iusculis facile regeneretur nutrientibus; ea tamen prudentiores utuntur cautione, ut non ſimul et ſemel, nec ad lipothymiam usque larga copia ſanguinem emittant, ſed partitis vicibus eius reiterent ventilationes, quas et vires aegrotantis ferunt, et plethorae calorisque exſuperantia poſtulat. Imprudentes autem eorum, qui omnem ſanandi vim in frequentatis ſanguinis miſſionibus ponunt, iuſtam ſaepe normam tranſiliunt. Hinc indignabundus ridet et reprobat D. Tiſſot [m]) Chirurgi cuiusdam temeritatem his verbis: *Le Chirurgien ſe glorifie de diz, douze, quinze ſaignées, et aſſure, que la bleſſure etoit neceſſairement mortelle, puisque tant de ſang repandu n'a pas pu ſauver le malade, pendant que c' eſt reellement cette profuſion, qui l'a tué.* Non reiicienda, ſed prudenter applicanda eſt PARACELSI [n]) cautio et admonitio: ne in vulneratis haemorrhagia feſtinanter aut praemature ſiſtatur, ſed ad pondus ſuum fluere permittatur. Celeberr. IVNKERVS [o]) limitatus iſtam Paracelſi ſententiam bene monet: haemorrhagiam vulnerum non eo usque ſemper tolerandam eſſe, donec ſponte ſubſiſtat; ſufficientem tantum et notabilem requiri ſanguinis depletionem, praecipue in plethoricis, iratis, inebritatis, alioque orgaſmo incitatis, ne ex praematura illius ſuppreſſione naſcens inflammatio gravius inferat curationis impedimentum. Si quando lipothymia vulneratum impetat; haec ſanguinis fluxum moderabitur, aut plane ſiſtet. Vulgus quidem maiorem venae ſectioni efficaciam tribuit, ſi lipothymia eidem ſupervenerit. Haec vero opinio neque legis vim habet, neque ſecuro ſem-

per

(m) Avis au peuple ſur la ſanté §. 440. p. 317.
(n) Chirurgia Vulnerum Cap. XII. p. m. 79.
(o) In Chirurd, conſpectu Tab. LIX, cautel. 1. 2. p. m. 408.

per probatur eventu. Nonnulli enim partim ob idiosyncrasiam, partim ob haemophobiam, perverso timoris imaginationisque affectu adeo percelluntur, ut vix una vel duabus sanguinis unciis e pertusa vena emissis, animo linquantur, quinimo artuum patiantur convulsiones, sanguisque profluere ultro desinat. In timidis hisce hominibus, si necessitas largiorem exigat sanguinis missionem, iusta eius depletio aut non attingitur, aut cessante lipothymia recludenda deligatio, ut sufficiens dein prodeat cruoris quantitas. In aliquibus autem tantam offendimus animi forditudinem viriumque constantiam, ut non experiantur lipothymiam, nisi omnem fere profuderint sanguinem, et aut prosternantur mortui, aut viribus privati in gravem incidant morbum. Ideoque praesumta vulgi regula exspectandae a venae sectione lipothymiae inter ambiguas atque ut plurimum erroneas eius pertinet sententias. Quodsi tamen aliquando lipothymia salutarem edat effectum; hunc suspenso paulisper et alterato sanguinis circulo, qui ex praegressa eius evacuatione evadit liberior minusque pressus, adscribendum esse censeo. Multis dum quoque experimentis confirmatur, lipothymiae in sistendis haemorrhagiis utilitas; fieri potest, ut in omnibus sanguinis profusionibus, sive naturalibus, sive morbosis et violentis, dummodo modum non excesserint, refraenandae haemorrhagiae interdum inserviat. Hinc illud symptoma neque semper pertimescendum, neque omnino negligendum esse iudico.

T A N T V M.

NOBILISSIMO DOM. CANDIDATO GMELINO

S. P. D.

D. IOH. NIC. WEISS,

H. T. FACVLT. MED. DECANVS.

Eam tandem attingis feliciter metam, quam TIBI, Clariſſime DOM. CANDIDATE, olim praefixiſti. Pharmaceutico enim ſtudio, quod a puero didiciſti, atque felici uſu in praeclaris Germaniae, Alſatiae et Helvetiae, urbibus excoluiſti, eum in finem es delectatus, ut cognitam TIBI redderes ſcientiam, quae addiſcendae arti ſalutari multum omnino opitulatur, animumque praeparat, ut amplas profundasque Medicinae doctrinas minori imbibat negotio. Non Baſileae tantum felicia Hygeiae poſuiſti fundamenta, ſed Ingolſtadii etiam eadem amplificaſti, opera uſus celeberrimorum Medicinae Profeſſorum, quorum benevolentiam ſtudiumque ſumma cum laude gratique animi contentione nobis depraedicaſti. Iidem Viri Excellentiſſimi TE egregiis ornatum teſtimoniis dimiſerunt inviti, quoniam TE dignum laurea doctorali judicarunt, promtique extiterunt, ad eandem TIBI tribuendam, niſi poteſtas Papalis, quam Clerus ceu ſupremam religioſe ſuſpexit, TIBI, Auguſtanae Confeſſioni addicto, obſtitiſſet, ac ſi medici honores, quos Auguſtiſſimi Imperatores Academiis clementiſſime largiti ſunt, non niſi ſolis fidei Romanae alumnis illic poſſent concedi. Non fidei adverſa res eſt medicina, nec uni adſtricta religionis ſpeciei, ſed religioſe tantum exercenda. Iam dum Licentiam adipiſcendorum honorum academicorum apud nos nanciſceris; non poſſum, quin TIBI, optimoque PARENTI TVO, de praemiis ſtudiorum TVORVM congratuler, piaque vota nuncupem, ut celeberrimo Nomine Gmeliniano, quod inter Medicos eruditione claros dudum eminet, incitatus, nunquam non felicia artis ſalutaris augmenta proferas, et languentibus commodam praeſtans operam, famam Nominis augeas.

Vale.